

hæc quam illa viros fortita est, eo facilius oppressa: qualis fuit Bocchonia, quæ Tepulanam longe atrociorem præcessit. Fuit ea tempestate Marinus quidam, cui Bocchoni cognomen erat, homo non patricii, nec sordidi etiam generis, sed mediocris quidem & honestioris fortunæ, cæterum audax, & ad omne facinus promptus. Is publicæ libertatis, aut certe illius qui tunc erat, civitatis status impatiens, de cæde Principis atque optimatum quorundam cogitare cœpit. Ubi vero ad rem animum adjecit (quia per se tale facinus aggredi non audebat) cum sui ordinis hominibus, quos publicæ libertatis antea pertæfos non ignorabat, suum communicat consilium: probant illi rem, seque periculi socios ultro exhibent. Constat haud dubie, statuisse eos Principem cum aliquibus Patrum obtruncare: sed consilione Reipublicæ invadendæ, an quia Gradonicum ipsum non ex sua sed Patrum sententia paucis ante annis summam dignitatem adeptum dolebant, atque ob hoc non solum Ducem ipsum, sed ejus etiam creationis autores obtruncare in animo erat: id parum compertrum habeo. Conjuratio ad Principem delata non mediocriter ejus animum turbavit: sed periculo necessitatem imponente, confestim ad eam opprimendam conversus, pro magno habuit negocio, Marinum & socios in suam potestatem redigere: capti, ac sceleris convicti, ad geminas columnas merito sunt suspendio necati.

Cum Patavinis denuo orta est discordia, communito ab eis loco in stagnis, quæ inter Clodiam sunt & Albanum: Petabubulæ loco nomen est. Haud dubie apparebat Patavinorum consilia eo tendere, ut munitione præsidio inita, vel nolentibus Venetis, circumjecta loca in salinarum usum verterent. Verum Patres, expedita hominum manu ad id missa, locum subito diruendum curarunt. Tulerunt id Patavini iniquo animo: sed nihil in præsentia movere ausi, aliquandiu neque pro hostibus se Venetorum, neque amicis gesserunt.

Cum Palæologo Græciæ Imperatore bellatum hoc tempore scribunt quidam, quia grandem pecuniam, quam deberet Venetis, recusasset solvere: quo autem nomine ea deberetur, ab illis non traditur. Classis ad bellum instru-

1299  
*Bocchonia  
conspiratio.*

1300

1303  
*Discordia  
cum Pata-  
vinis.*

*Veneta clas-  
sis ingentem  
ex Græcia  
predam re-  
portavit.*

&a,